

# SAPIENS STOICORUM

DISSERTATIONE GRADUALI

*Breviter delineatus:*

Quem

*Suffragante Amplissimo Senatu Philosophico in Regia ad Auram Academia,*

PRÆSIDE

*VIRO AMPLISIMO atq; CELEBERRIMO*

M. HENRICO HASSEL,

Eloq. Profess. Reg. & Ord.

*Publice examinandum qua par est modestia sistet*

DANIEL P. MANSNERUS

*Alandus.*

Die 30. Junii, Anni MDCCXXXII.

*loco horisq; post meridiem solitis.*

ABOÆ, Exc. R. Ac. Typ. Joh. Kiämpe

*H. Heintz*

*Nobilissimo & Consultissimo Domino,*

**D<sub>N</sub>. JUSTO  
SCHULTZ,**

Regii, quod Aboæ est, Dicasterii Ad-  
tessori Gravissimo, ut Patrono &  
Nutritio optimo; ita submissa vene-  
ratione æternum colendo.

**B**eneficia, quæ, Patroni Optimi, pla-  
uram non quidem habeo; Vobis tamen, in  
lum hocce chartaceum quaecunque cum  
offerre volui. Quod ut benigne accipiatir,

**Nobilissimorum Amplissimo-**

*Cultor De-*  
**Daniel P.**

*Amplissimo Celeberrimoque Domino,*

**MAG. HENRICO  
HASSEL,**

Eloquentiæ Professori Reg. & Ord.  
Consanguineo & Promotori Optimo  
Certissimo, pia mente ad cineres  
usque colendo prosequendõ.

*ne singularia in me contulistis, quo sal-  
signum venerabundi adfectus, munuscu-  
sincera omnigenæ felicitatis adprecatione,  
humillimè oro*

**rumque Nominum Vestrorum**

*otissimus*  
**Manuerus.**

*VIRO Admod. Reverendo & Praclarissimo*  
**DN. SALOMONI ALANO,**  
Pastori in Gomala & Praeposito Alandia  
Adecuratissimo, Patrono Optimo.

*Admod. Reverendo & Praclarissimo VIRO*  
**Mag. SAMUELI KIELLIN,**  
Pastori in Sund & B. rdo Vigilantissimo,  
Fautori certissimo.

*Plurimum Reverendo Doctissimoq; VIRO*  
**DN. BRYNOL. MANSNERO,**  
Pastori in Kumblinge & Brendo Fidelis-  
simo, Patru loca qua par est observan-  
tia colendo.

*Plurimum Reverendo & Doctissimo VIRO*  
**DN. GUDMUNDO ROTHOVIO,**  
Pastori in Hammarland & Eskero Meri-  
tissimo, Patru loca semper  
honorando.

*Admod. Reverendo & Præclarissimo VIRO*  
Mag. GABRIELI FRONDELIO,  
Ecclesiarum, quæ in Sinsheim & Getha  
Deo Colliguntur Pastori & Præposito  
Dignissimo.

*VIRO plurimum Reverend. atq; Doctissimo*  
Dn. JOHANNI SEIBERDORF/  
Ecclesiarum in Söglö Rißlar & Sättun-  
gar Antistiti Meritissimo, ut Patruo Ca-  
rissimo; ita quovis observantiz cultu nun-  
quam non prosequendo.

*plurimum Reverendo atq; Doctissimo VIRO*  
Dn. MATTHIÆ GRUNNERO,  
Pastori in Saltwif Vigilantissimo, ob af-  
finitatis conjunctionem plurimum  
honorando.

*plurimum Reverendo & Doctissimo VIRO*  
Dn. ERICO LINDBWIS/  
Verbi Divini Commisso in Söglö &  
Rißlar Meritissimo, Fautori Patruo loco  
jugiter honorando.

**V**obis Patroni & Fautores optimi, speci-  
ci men hocce Academicum, breve qui-  
dem ac rudi Minerva conscriptum, ob be-  
neficia, & in ulterioris gratia ac bene-  
volentia invitamentum, addito juxta  
voto calidissimo, pro incolumitate Vestra  
sempiterna, consecratum esse vult.

**Honoratissimorum. Nominum  
Vestrorum.**

*cultor observantissimus*  
**Daniel P. Mansnerus.**



Q. F. F. Q. S.

S. L.

**C**onsideranti, quæ in Re-  
publica literaria sunt  
peracta, verissimum es-  
se constabit tritum illud:  
*Quot capita tot sensus.* Philosophi  
enim, inde a vetustissimis retro  
seculis ad nostra usque tempora,  
in tot abierunt sectas, diversissimis  
superstructas fundamentis, ut no-  
mina earum enumerare arduum  
sit, dogmata vero singularum de-  
scribere, humanam fere industri-  
am exsuperet. Nos tantum con-  
stitui-

stituimus, quædam ad Philosophiam Stoicam pertinentia non-nihil attingere. Hæc nomen a *στωά* seu porticu quodam amœno, in quo Zeno auctor hujus Sectæ docebat, sortita, genus doctrinæ admodum subtile sequebatur, præceptis plerumque brevibus placita comprehendens. Stoici Metaphysicam parum curasse perhibentur. In Physica docuerunt mundam componi ex materia & anima, quam Deum vocarunt. Cuncta fato seu immutabili quodam rerum ordine agi affirmarunt, cui ipse quoque Deus obnoxius esset. Periodos mundi perpetuas, per seminales ( : uti loquuntur ) rationes esse voluerunt; quum materia simplex atque immota ab æterno existiterit, semperque sit existitura. Philosophiam vero Practicam singulari studio excoluerunt, in  
qua



3  
qua aliis profanis Doctoribus pal-  
mam eos præripuisse, non pauci  
arbitrantur. Potissimam autem  
partem doctrinæ suæ moralis in  
descriptione *Sapientis* proposue-  
runt. Hoc itaque argumentum  
non indignum esse putavi, quod  
specimine Academico pro tempo-  
ris & facultatum ratione breviter  
explicandum susciperem. Quam  
obrem *Sapientem* Stoicorum deli-  
neaturus L. B. Officiose rogo,  
innocuos conatus æqui bonique  
consulere velit.

§. II.

INcredibile est, quantam *Sapio-  
enti* suo eminentiam tribuant  
Stoici. Divina pariter ac huma-  
na certissime cognoscit. Quidam  
vero hoc ita interpretantur, ut  
de illis tantum sit intelligendum,  
quæ ad finem ejus & propositum  
necessaria sunt; quare etiam si-

ne literarū cultura eum hanc scientiam consequi posse contendūt. Nec ulla de re dubitat, vel opinatur; quod si faceret, in errorem quoque incidere posset. *Opinari inquit Zeno te scire quod nescias, non est sapientis, sed temerarii potius ac stulti.* Hinc non mentitur *Sapientis*, quia scientiam solidam habet veri, nec fallit, quum omnia quæ profert ex bona affectione oriuntur. Neque ipsi præter opinionem quidquam evenit, quia omnes circumstantias sibi habet perspectas. Hac de re Seneca sic loquitur: *Non mutat sapiens consilium omnibus his manentibus quæ erant, cum sumeret. Ideo nunquam pœnitentia subit, quia nihil melius eo semper fieri potuit, quam quod factum est.*

§. III.

**Q**uemadmodum in sola virtute

3  
te constituerunt felicitatem Stoi-  
ci, ita omnes virtutes, & in  
summo quidem gradu *Sapientis*  
competere asseruerunt; quare  
perfectus & consummatus vocatur.  
Semper sibi est constans, & in eo-  
dem ubique statu ac tenore per-  
sistit; quem nullæ perturbationes  
offendere, nec ulla cupido,  
lætitia, metus vel ægritudo at-  
tingere possunt. Gaudio juxta  
fruitur perenni, quod ex sola a-  
nimi tranquillitate internè & ex  
ipso oritur, nullo vero ex adven-  
ticio externoque principio. Au-  
gustinus *Hæc inquit: Stoici sic lo-  
quuntur, ut velle, gaudere, cavere  
negent nisi sapientem: stultum autem  
non nisi cupere, letari, contristari.*  
Hinc Seneca, decus & ornamen-  
tum Stoicorum ad Lucilium: *No-  
lo tibi unquam esse lætitiã, volo il-  
lam tibi ( in animo ) nasci, na-  
scesur, si modo intra te ipsam sit.*  
Cetera

6  
Cetera hilaritates non implens pectus,  
sed frontem remittunt: leves sunt,  
nisi tu forte judicas illum gaudere,  
qui ridet. Hoc gaudium de quo lo-  
quor, solidum est, & quod plus pa-  
seat introitus. Ergo recte ubique  
egit. Unde Plutarchus: Stoici,  
neque malo ullam virtutem inesse,  
neque vitium viro bono censent; sed  
illum semper peccare, hunc autem o-  
mnia recte facere. Nam quidquid  
facit Sapiens, ex virtute facit, ut  
ne digitum inopinatio & temere  
exserat.

§. IV.

**E**Tiamsi corpus vel gravissimis  
torqueatur cruciatibus; ani-  
ma tamen ejus nullo eorum sen-  
su adficitur, sed semper beatus  
existit. Unde Lipsius, Stoicorum  
propugnator acerrimus: fortiter  
hæc sic efferimus, quicquid agmine  
in nos incurrant Pythagorici. Acade-  
mici

7

mici & Aristotelici. Nam quid certius esse potest, quam ratione eorum, qui dolorem in malis ponunt, non posse sapientem beatum esse, cum in eculeo torquetur? contra autem eorum, qui dolorem in malis non habent (Stoicorum) ratio certe cogit, ut in omnibus tormentis conservetur beata vita. Hoc ante illum sic docuit Seneca: Paria sunt gaudium & fortis & obstinata tormentorum permissio; in utroque enim eadem est animi magnitudo. Hinc, quum alii dolores & tormenta horreant ac reformident, atiam si non adfuerint, illa etiam praesentia animose contemnit. Verum quid mirum? Est enim, ut ante dixi, imperturbabilis, cujus virtute omnes affectus ita sunt extirpati, ut ne ullum quidem eorum vestigium resideat. Unde iterum Seneca: *Utrum satius sit, modicos habere affectus, an nullos, saepe quaesitum*

firmum est. Nostri ( Stoici ) expellunt affectus, Peripatetici temperant. Et hoc ideo possibile esse dicunt, quia sua ex sententia affectus natura non insunt homini, sed prava duntaxat opinione.

## §. V.

**S**apiens insuper sibi met ipsi sufficiens est. Hoc ita explicant, ut se solo sit contentus ad beatè vivendum, licet non ad videndum consentiente hunc in modum Seneca; Nam subduc illi cibum, non vivet; subduc amicos, divet, & quidem beate. Idem alibi; Homo quidem amat societatem & amicos; nibilofecius oportet & in hoc exerceri, ut possit sibi ipse sufficere, possit secum esse. Sicut Jupiter secum est atque agit, & in se adquiescit, & gubernationem suam mente agitat, & cogitationibus fruatur se dignis. Unde quoque concludunt, eundem solum esse divi-

divitem. De hoc Lipsius sic scribit: Licet nulli sua eripuerit, & in se verterit; omnium tamen bona ejus sunt, eaque tuetur sapientissime, sine ulla molestia, non quidem occupatione, sed animo. Id ante affirmavit Seneca: Nihil inquit prohibet, aliquid & sapientis esse, & ejus, cui datum & adsignatum est. Jure Civili omnia Regis sunt, & tamen illa, quorum ad Regem pertinet universa possessio, in singulos dominos descripta sunt, & unguaque res habet possessorem suum; ad Regem enim potestas pertinet, ad singulos dominium. Vis autem argumentationis Stoicæ huc redit: Qui solus id possidet, quod tantum a estimatione dignum est, solus quoque est dives; solus vero sapiens possidet virtutem, præterquam nihil est bonum, Ergo.

§. VI.

**I**dem præterea solus est liber.

Quo

Quomodo hoc sit capiendum, Ci-  
 cero verbis sequentibus pronun-  
 ciat: *Quid est libertas? potestas vi-  
 vendi ut velis. Quis igitur vivit  
 ut vult, nisi qui recta sequitur? qui  
 gaudet officio? cui vivendi via con-  
 siderata atque provisata est? qui legibus  
 non propter metum patet? qui nihil  
 dicit, nihil facit, nihil cogitat deni-  
 que nisi libenter & libere.* Est etiam  
 solus Civis, solus Nobilis, solus  
 Magistratus. Quum enim omnes  
 reliqui sint stulti, sic nec ullius  
 æstimationis habentur. Verum  
 nec sufficit Sipienti nullius subje-  
 ctum esse dominio, sed juxta po-  
 testatem in alios ipsi vendicant.  
 Unde ex communi Stoicorum  
 consensu Rex appellatur. Nam  
*in eo sceptrum & diademata sua osten-  
 dit inquit Lipsius, quod & se &  
 alios regat.*

§. VII.

**S**apiens injuriam non omnino  
 acci-



accipit, nec aliis infert; quia ad  
 juvandum tantum natus est. Hinc  
 Stobæus dicit *sapientem injuria exfor-*  
*tem esse, ut qui nec capiat eam, nec*  
*inferat. Esse enim injuriam injusti-*  
*tiam quandam cum dedecore aut da-*  
*mino conjunctam.* Nec est, quod  
 veniam peccati commissi in sapi-  
 ente quæras. Alienum enim a  
 recta ratione hoc esse dicunt, si  
 vel levissimis aliorum peccatis i-  
 gnosceret; præsertim, quum o-  
 mnia peccata æqualia faciant,  
 quæ salva justitia remitti non pos-  
 sunt. Seneca: *Venia est pœnæ me-*  
*rita remissio. Ergo ei ignoscitur, qui*  
*puniri debuit; sapiens nihil facit,*  
*quod non debet, nihil prætermittit*  
*quod debet. Itaq; pœnam quam exi-*  
*gere debes non donat.* De miseri-  
 cordia Sapiientis idem dicendum.  
 Neminem enim, nisi stultus sit &  
 levis, volunt misericordem esse. I-  
 deoque Seneca misericordiam *Vi-*  
*ctimo*

sium appellat; etsi plerique ut virtutem laudent & bonum hominem vocent misericordem. Idem ille: quid autem est inquit ( misericordia )? aegritudo animi, ob alienarum miseriarum speciem. Aegritudo autem in sapientem virum non cadit. Hoc tamen non ita explicandum esse contendunt Stoici, ac si imperfectionem & inhumanitatem quandam in Sapiente hæc assertio involveret, sed ideo potius hoc asserunt, quia misereri, speciem dolentis præsupponit, eoque ipso animi mutationem arguit, Ideoque Seneca: Non misereri quidem ( sapientem ) quia non fit sine miseria, unde nomen; at facit ista tranquilla mente vultu suo.

### §. VIII.

**P**arum abest, quin in nomen Deorum sapientem referant

ferāt Stoici. Hinc Seneca: *sapiens ille plenus gaudio, hilaris & placidus & inconcussus, cum Diis ex pari vivit. Et alibi: Hoc est summum bonum, quod si occupas, incipis Deorum socius esse, non supplex. Hunc in eo a Diis differre volunt, quod Deus per naturam plus polleat & immortalis existat; sapiens vero per industriam nomen Deorum sortiatur, mortalitati licet obnoxius. Ita enim Seneca: Jupiter quo antecedis virum bonum (sapiensem)? diutius bonus est; bonus ipso tempore tantum a Deo differt. Item: sapiens vicinus proximusque Diis consistit, excepta immortalitate similis Deo. Cum inæqualitate autem temporis, patrem Deum inter & sapientem, felicitatem consistere posse contendunt. Ita enim argumentantur teste Liplio: Quæadmodum ex duobus sapientibus, qui senior de-*  
*cessit*

cessit, non est beator eo, cujus in-  
tra paucos annos determinata virtus  
est. Sic Deus non vincit sapientem  
felicitate, etiamsi vincat etate.

§. IX.

**N**Ec illud denique præterire  
possum, quod statuunt Stoi-  
ci, sapientem aliquando mortem  
sibi sumere posse. Esse enim vi-  
tam inter indifferentia dicunt,  
ideoque eam & prorogare & ab-  
rumpere pro lubitu ipsi conces-  
sum esse; haud secus, atque a  
convivio satur hilarisque surgere pos-  
sum & abire; ludum cum libet relin-  
quere ut ait Lipsius. Igitur Seneca:  
Neque interest multum, mors ad nos  
veniat, an ad illam nos. Et hoc  
dicunt sapientem non modo posse,  
verum etiam id eum decere, &  
quidem varias ob causas, quas La-  
ërtius hisce enumerat verbis: *Iuste*  
& *eum ratione sapientem educiturum se*  
è vi

*de vita dicunt, vel pro patria, & amicis, vel si in acerbis doloribus versetur, itemque in membrorum mutilatione, vel morbis agre curandis; Et Seneca: sapiens vivit quantum debet, non quantum potest.*

## §. X,

**S**Toici non putant talem unquam sapientem existitisse vel existere posse; id quod statuere absolum omnino fuisset. Quis enim mortalium tot adsequeretur perfectiones? Seneca quidem contrarium adfirmat verbis sequentibus: *Non est quod dicas, ita ut soles, hunc sapientem nostrum nusquam inveniri. Non fingimus illud humani ingenii vanum decus, nec ingentem imaginem false rei concipimus; sed qualem formamus, exhibuimus & exhibebimus.* Verum hoc a communi Stoicorum opinione plane recedit. Quod si in semetipsum paulo di-

lo diligentius descendere Senecæ placuisset, næ quantum deprehensus fuisset infra cōsummatissimam sapientis perfectionem longe subsistens? Hac autem ratione ideam tantum summæ perfectionis sistere voluerūt, ad quam omnes pro virili se conformare oporteret, Haud secus ac Plato ideam optimæ Reipublicæ exhibere suscepit. Lipsius: *Quo igitur inquit fructu talis ille ( sapiens ) describitur, quem esse natura abnu- it? dicam in exemplum: species & idea quædam illius summi, proponenda est, quo conitatur, non pertin- gere, sed accedere, neque assequi sed amulari.* Ubi autem hæc Sapien- tis idea secundum principia veræ Philosophiæ examinatur, facile constabit, illam cum hisce per omnia non contentire. Falsum est, quod solius animi cura sit agenda, corpore prorsus negle-  
cto.

Sto. Nec admitti potest, nihil  
 præter solam virtutem esse bo-  
 num. Hoc enim posito multæ  
 virtutes, E. G. prudentia, justitia,  
 temperantia &c. ne intelligi qui-  
 dem possent, quum etiam circa  
 corporis bona versetur. Huc per-  
 tinet, doctrina de affectibus omni-  
 no extirpandis, qui tamen, ubi  
 ratione diriguntur, suo non ca-  
 rent usu. Erroneum quoque est,  
 homini licere vitam sibi met ipsi fi-  
 nire. Nemini enim conceditur  
 stationem deserere, in qua sum-  
 mus Rerum Arbiter ipsum con-  
 stituit, antequam ab eodem in-  
 de evocetur. Hæc & plura Stoi-  
 corum placita, ad veram perfe-  
 ctionem humanæ naturæ promo-  
 vendam adeo non faciunt, ut po-  
 tius eidem contrariantur. Quam-  
 vis hæc copiosius adhuc exami-  
 nari possent, temporis tamen rati-  
 onem habituri imponimus finem.

SOLI DEO GLORIA.

Fratri Carissimo

**P**andere si vellem, foveo que gau-  
dia mente,  
Publica dum scandis mi Frater pulpi-  
ta Care,  
Non humeri tantum pondus gestare  
valerent,  
Nec res jam caperes levidensis pagi-  
na tantas.  
Mente ergo memori, quod me debere  
fatebor,  
Perfolvet gratumq; feret mea crena  
liquorem,  
Dum vover, ut poterit, Tibi perquam  
Frater amande,  
Dulcia tam quavis quam prospera fata  
per annos  
Multos: ut flatu pandat tua vela se-  
eundo  
Sors, tandemque Tibi concedat gau-  
dia Cælum  
Post exantlato vite sine fraude la-  
bores!

Sic gratulari voluit  
Johannes P: Mansnerus.